



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiariam, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Additiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

fimi in Christo Patris & Domini nostri, Dñi *Iulij* diuina prouidentia Papæ II. anno quinto: præsentibus ibidem venerabilibus & honorabilibus, viris Dominis Iacobo Haushanner Decretorum Doctore, Canonico Ecclesiæ nostræ Frisingensis nostrosq; in spiritualibus. Vicario generali, & Ioanne Winhart Vicario in Vualperskirchen presbytero nostræ Diæcesis, testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis.

Et ego Leonardus Häprücklin Clericus Frisingen. Diæcesis publicus apostolica & imperiali autoritatibus Notarius, officiq; Vicariatus Ecclesiæ Frisingensis scriba iuratus: quia supra insertarum litterarum Apostolicarum præsentationi, receptioni, requisitioni, monitioni, sententiarum & Censurarum fulminationi Processusq; huiusmodi petitioni & Decreto, omnibusque aliis & singulis præmissis, dum sicut præmittitur fierent & agerentur, vna cum prænominatis testibus, præsens interfui, eaq; sic fieri vidi & audiui. Ideo hoc præsens publicum Instrumentum huiusmodi processum in se continens, manu alterius, me aliis præpedito negotiis fideliter scriptum exinde confeci, subscripsi, publicauit, & in hanc publicam formam redegit, signoque & nomine meis solitis & consuetis, vna cum prælibati. Reuerendiss. ac Illustriss. Principis Dñi Dñi *Philippi* Episcopi Ecclesiæ *Frisingen.* Comitum *Palatini Rheni Ducis Bauariæ* &c. Iudicis & executoris Secreti apensione signaui in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum rogatus & requisitus.

S. IOANNIS BAPTISTAE
IN FRISINGA.

COLLEGIATA Ecclesia dotata & fundata per Albertum, Episcopum Frisingensem, circa annum 1180. consummata per Conradum tertium, Episcopum, qui ibi instituit sex Canonicos, vna cum Praeposito, &c. Conradus iste Episcopus, Monacensis, Doctor Canonum, obiit anno septimo suæ administrationis, veneno, vt putatur, sublatus, anno 1322. Vide Episcopos Frisingenses.

ADDITIONES.

IN nomine Domini Dei æterni Amen. Cælestis creator omnium, cuius imper-
scrutabilis prouidentie altitudo non includitur limitibus, & quem cæli caelorum non continent, sic sponsa suæ matris Ecclesiæ Redemptor affectu præcipuo consubstantialis filij sui sanguine profectum eximium ac decorem, & edificationem materialem crescere disposuit, & præordinando providere constituit in templum sanctum Domino, vt lapis ipse angularis in sacramento magnifici sui corporis ibidem nobiscum vsq; ad consumationem seculi permaneret, & in locis rationabilibus. administratione & officio Pontificum delibutis veneraretur sanctum per cuncta secula nomen eius. Idcirco nos *Conradus* Dei gratia Episcopus Ecclesiæ *Frisingensis* ad eius gloriam, per quem cælestis & terreni consistunt ædificij fundamenta *Frisingen.* Ecclesiæ nostræ spoliæ, cui diuina prouidentia præsidem⁹, exaltationis spiritualis honorem, salutis propriae augmentum, & deuotionis Christi fidelium vniuersalem propagationem, nec non spirituale obreuerentiam S. *Ioannis Baptistæ* præcursoris Christi qui sanctificat⁹ in vtero matris Saluatoris præcessit in *Elia* spiritu ac virtute, ipsumq; factorem suum ac nostrum in deserto lucem beatitudinis digito demonstrauit, & lympha meruit tingere baptismali, capitulo nostro per campanæ sonitum more solito conuocato, conuenientibus dilectis in Christo fratribus, Dñi Praeposito, Decano necnō omnibus, ac singulis in loco capituli qui volebant,

lebant, debebant & commodè poterant interessè, deliberatione præhabita diligenti tractantibus, omnibus discussionibus, & solemnitatibus, adhibitis, quæ in arduis & maioribus causis ac negociis, & præcipuè subsequentibus, de iure & consuetudine requiruntur, fauētibus, & cooperantibus, & consentientibus, nobis generaliter omnibus, & singulariter vniuersis nullo penitus discordante, autoritate nostra pariter & decreto solēniter ac autoritabiliter Capellam S. *Ioannis Baptistæ* sitam ante fores Ecclesie nostræ prædictæ Cathedralis quæ in Capella est antiquè nuncupata, creatam, eligim⁹, ordinam⁹, diffinimus, & tenore præsentium constituimus Capitulum & Conuentualē siue Collegiatam, donantes & concedentes eidem ac personis quibuslibet Collegiatis in ipsa Deo militantibus, omne jus & quælibet honorē, in genere & specie, quod vel quid ceteris Conuentualibus, & Collegiatis Ecclesiis & personis nostræ ciuitatis vel Diocesis existantibus quibuscunq; cōpetiit consuetudinibus siue iure. Volentes, statuentes, diffinientes, vt quantum ad spiritualē & primariam institutionē, sint in ipsa Capella Episcopali dignitas Præposituræ, Capitulum, & sex Canonici atq; præbendæ, donec per nos aut successores nostros personam aut Collegij numerus prædicti, fuerit Deo propitio augmentatus. Statuentes vt Præpositus eiusdem Capellæ Episcopalis Collegiatæ, noster & successor noster, sicut prouisor ipsius ante fuerat, sit & existat specialiter Capellanus. Statuimus insuper & diffiniendo ordinamus, quod in præfata Ecclesia S. *Ioannis* per Canonicos institutos, ac etiā instituendos, tres missæ quotidie ad laudē Dñi celebrentur. Quarum prima die qualibet in diluculo submissa voce dicatur. Secunda verò missa, dum ad primam pulsatur, vel ante aut circa horam ipsam, officium videlicet diei conueniens solemniter decantetur. Sed tertia missa dicenda, cum eadem, vel postinbreui concurrat. Solemniter & singulis diebus in ipsa Ecclesia Vesperas diei congruentes statuimus decantari, quoniam videlicet ad Vesperas sonatur in Ecclesia Cathedrali. Insuper statuimus, & irrefragabiliter ordinando mandamus, quod per totum anni circulum ter in qualibet septimana, in prænominata Capella nostra Episcopali, pro abolitione & remediatione peccatorum nostrorum, atq; salute animarum omnium, quæ in Ecclesia nostra Frisingen. in officio Pontificali nos hactenus præcesserunt, & quæ orationibus, & deuotionibus huiusmodi indigent, decantentur solēniter Vigiliæ mortuorum, nisi festa præcipua & solēnia hoc impediunt exequenda: quæ quoties occurrent, sine protractionis tardio statim diebus sequentibus, quod in officio mortuorum ommissum fuerit, perficiatur, & diligenti⁹ suppleatur. In his igitur officiis mortuorum taliter se habebunt. Singulis diebus Dominicis post Vesperas decantatas in Ecclesia Cathedrali incipient cantando maiores Vigilias mortuorum, inchoantes: putas ne mortuus homo, &c. cum nouem lectionibus, & psalmis ad hoc aptis. Secunda feria sequenti missam publicam pro defunctis solemniter peragentes. Feria quarta autem, & feria sexta post Vesperas decantabunt vigilias minores, quarum principium est: Credo quod redemptor &c. cum psalmis & lectionibus debitis & consuetis. Et in diebus sequentibus, in missas commemorationē tuam per collectas vsuales Episcoporum faciāt defunctorum. Iubemus præterea & statuendo diffinimus, quod in festis S. *Ioannis Baptistæ* natiuitatis & decollationis. S. *Stephani* protomartyris, *Augustini*, *Georgij*, *Hieronymi*, & *Ambrosij*, *Catharinæ* & *Dorotheæ* virginum omnes & singulæ horæ Canonice per ipsos Canonicos ibidem deuotè & solēniter decantentur, per singulas nihilomin⁹ sextas ferias. ordinamus & volum⁹, quod sæpèfati Canonici legendo etiā præter alia officia eis tunc incubentia, quod per hoc nolum⁹ decurtari dicant ibidem venerabiliter passionis Christi totum cursum. Item ordinamus & volum⁹, quod prædicti Canonici possint diebus priuatis in publico Altari pro Canonice Ecclesie maioris missas publicas decantare. Ceterum formam & modum, quos Canonici prædicti in horis, missis, & deuotionibus, quibuslibet debent in-

sua Ecclesiā absque diffinitis superioribus custodire, & quib. momentis siue temporib. in Choro Cathedralis Ecclesiæ nostræ suam præsentiam exhibebunt gratia melioris deliberationis nostræ voluntati & dispositioni futuræ autoritate præsentium reseruamus. Et quia spiritualia sine temporalib. non consistunt, quinimò auxiliis corporalib. suffulta fecundiorib. proficiunt incrementis, ad stabilitatē solidam ipsius structuræ, cui⁹ prouectum vehementi cordis desiderio amplectimur, considerationis intuitum diffundentes, de consilio, promissu & expresso consensu prædicti Capituli nostri *Frisingen.* quod vel quantum in se esse potuit, consentiendo permisit liberam potestatem prædictæ Capellæ Episcopali, siue Ecclesiæ S. *Iohannis Baptiste* & personis ibidem institutis & instituendis & diuinum cultum ut præmittitur exercentibus, donamus & tradimus Ecclesiam Parochialē plebis in *Erding* nostræ diocesis, cum omnib. fructibus, prouentibus, obuentionib. & pertinentiis suis, ita quod modo subscripto prædicta plebs in *Erding*, cum omnib. iurib. suis, corporalib. & incorporalibus, spiritualib. & temporalibus, ad liberā dispositionē & administrationē Præpositi & Capituli communi mensā incorporamus, & per præsentēs vnimus vtendam & frudam per eos, prout inferius exprimetur. Congrua tamen sustentatione Vicario plebis prælibatē in *Erding*, quem perpetuum in antea esse volum⁹ in omnib. reseruata. Quem etiam Vicarium Præpositus S. *Ioannis* qui pro tempore fuerit, nobis & nostris successorib. in curam renebitur præsentare. Nobis enim & successorib. nostris in sæpe facta plebe in *Erding* vtraq; legem Diocesana & iurisdictionē nihilominus integraliter reseruamus. Sancimus autem & ordinādo statuimus, vt Præpositus S. *Ioannis* qui pro tempore fuerit, in redditibus & pertinentiis plebis in *Erding* præcipuè pro se diuisim habeat decem lib. denar. Et quidquid de pensionibus & redditibus prædictæ plebis fuerit aut cesserit vltra prædictas decem libras residuum solitum & consuetum communiter & æqualiter inter Canonicos diuidatur.

Præpositus quoq; præter redditus illarum decem lib. prouentus vnus integræ præbendæ, sicut vnus ex Canonicis habebit, & in distributione communi sine diminutione qualibet reportabit. Insuper ad communes vsus Præpositi & Capituli prædictorum Decimam quæ Ecclesiæ nostræ vacauit, per mortem spectabilis viri quondam Dñ. dicti de *Vilheim*, sita in *Ismaning* donamus & tradimus, & autoritate præsentium incorporamus. Præter hoc de Capituli nostri *Frisingen.* sæpe facti procedit beneplacito & permisso, & ad hoc quantum, in se esse debet & potest, fauet concorditer & rebus per tempora nostræ administrationis acquisitis hætenus & emptis de nouo, vel in posterum acquirendis, vt etiam de Feudis, vel Ecclesiæ nostræ nunc vacantibus, vel in posterum vacaturis, in quibuscunq; locis aut regionib. fuerint constituta, donare & incorporare valeamus ad instaurationem & fertilitatem copiosam prælibati Collegij S. *Ioannis*, Præpositi & Canonicorum, & ministrorum ipsius, quantum nobis expedire & competere videbitur, & sicut Domin⁹ inspirabit. Non solum pro numero personarum superi⁹ designatarum, verum etiam si decreuerimus successu temporis, plures personas vsque ad duodecim Canonicos ibidem instituere ad præbendas, & earum redditus ampliare. Omnes etiam redditus ad eandem Capellam spectantes ab antiquo, ipsi & personis eisdem inuiolabiles permanent. De forma verò & modo instituendarum personarum taliter diffinimus, quod ad prædictum Collegium S. *Ioannis* ordinetur & præficiatur perpetuo Præposit⁹ per nos & successores nostros liberè assumendus de Canonicis Ecclesiæ nostræ Cathedralis, & eadem Præpositura cum omnib. & singulis Canonicatib. & præbendis sine quolibet impedimento cum onerib. & formis supra nominatis,

& inferius nominandis, per nos & successores nostros libere conferantur. Ordinantur & statuentes, vt ad oēs & singulos Canonicatus, & Præbendas in eadem Ecclesia S. *Ioannis* per nos & successores nostros quoslibet præficiantur & assumantur Canonici tantum, qui sint verè & actualiter sacerdotes, & in sacerdotio constituti vel saltem in Diaconatu tales, qui statim omnia qualibet protractione & juris suffragio velint & possint in sacerdotes post prouisionem sibi factâ proximo ieiunio quatuor temporum ordinari. Si quis autem præter vel contra præmissa in Canonicum eiusdem Ecclesiæ S. *Ioannis* Præfectus assumtus vel electus, omni iure quod sibi competit vel competere videbitur in Canonica vel præbenda in re vel ad rem sine qualibet interpellatione statim & ipso facto penitus fuerit priuatus. Nos enim hoc statuto in perpetuum valituro cassamus & irritamus electionem vel prouisionem aut institutionem contra vel præter præmissa de Canonicis prædictis taliter celebratam, imò cassam & irritam nunciamus, quicquid ex eo vel ob id fuerit subsecutum. Nobis quoque vel successoribus nostris contra prædictum statutum Canonicum aliquem ad Ecclesiam S. *Ioannis* assumptis vel eligentibus statim ea vice quotiens in hoc statutum ceciderimus collatio Canonicatus & præbendæ pertineat ad nostrum Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, sub modis, formis & conditionibus præfatis, & si in conferendo vel præferendo capitulum discordaret, præualeat maior pars numeri in hoc casu. Volumus etiam & statuendo ordinamus, vt per eosdem Canonicos S. *Ioannis* ex se Decanus eligatur, cui confirmatio ad Præpositum suum spectat, & is maior & secundus in ipsa Ecclesia post Præpositum habeatur, qui Canonicis administret & diuidat redditus præbendarum, & negligentes in officio diuino puniat spiritualiter & temporaliter, prout in cæteris conuentualibus Ecclesiis fieri consuevit. Cui quidem pro augmento honoris & laboris sui patiendi sufferendi quinque libras Monacen. denariorum persoluendas de omnibus obuentioibus ipsius Collegij deputamus. Si quis autem suadente Diabolo, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum, præmissa vel aliquid eorum violare seu destruere præsumpserit, & dispositionem inspiratâ diuinâ laniare, cum *Dathan & Abyron*, quos terra viuos absorbit, intereat: vermis eius non moriatur, & ignis eum crucians nullatenus extingatur: percussus anathemate contraria sibi sentiat elementa, maledictionibus pessimis repleatur, sic quod suæ pertinaciæ malitiâ non inueniens successorem exemplo pænarum alios retrahat ab offensa.

Nos Deinde hæc Præpositus, Decanus, totumque Capitulum Ecclesiæ Frisingensis considerantes quod bonæ rei dare consultum æternæ retributionis expectatur præmium, & præsentis vitæ subsidium obtinetur: præsertim quia laudabilis Dominus in sanctis suis, quod extollic ingentior gloria meritorum desiderat collaudari. Ipseque R. Pater & Dominus noster *Conradus* Venerabilis Episcopus *Frisingen* remunerationem administrationis creditæ de iuris beneplacito obtineat, vt & partem census Ecclesiæ nostræ pro magnificanda sepultura sua aut proprio loco construendo valeat elargiri, recognoscimus, & tenore præsentium publicè profiteamur, quod conuenientes in Capitulo nostro ad hoc specialiter euocati generaliter oēs & singulariter vniuersi, iuxta quod præmittitur, tractatibus & solemnitatibus adhibitis, quæ de iure & consuetudine in talibus requiruntur præmissis, & singulis consensimus, & præsentibus consentimus, ipsaque collaudamus, ratificamus, & approbamus, iuxta modos & formas quaslibet superius annotatas. Volentes oïa & singula supra dicta, scripta & statuta, perpetuo inuiolabiliter perdurare, & valere, sicut de iure melius valere poterunt & in solida persistere firmitate. Renunciantes pro nobis & successoribus nostris in-

præ

præmissis & quolibet eorundem exceptionibus solemnitate omiffa, restitutionis in integrum doli mali, pecuniæ non numeratæ, in utilitatem non conuerfæ, non durantis appellationis, supplicationis, implorationis officij cuiuslibet superioris, nec non omni iuris beneficio quod nobis aut successoribus nostris posset contra prædicta quomodolibet suffragari, Includentes huic expressioni omnia, & singula, quæ renunciationem quamcumque desiderant, spectantem. Et in horum euidenciam præsentem litteras sigillo nostro maiori quo ad tractatus & maiora negocia utimur, volumus consignari. Et nos *Conradus* Dei gratia *Ep̄s Frisingensis* Ecclesiæ, ad perennem & euidentem roboris firmitatem ordinationum, definitionum, dispositionum, statutorum, & præmissorum ceterorum, præsentem conscribi fecimus sigilliq; nostri ac Capituli nostri legitimè roborari. Actum & datum *Frisingean.* Domini M. CCC. XIX. sexto Idus Iunij, Indictione secunda.

Sanctissimo in Christo Patri, & Domino suo charissimo, Domino *Ioanni* cælesti providentia SSæ. Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici, *Friedericus* diuina miseratione *Saltzburgeris* Ecclesiæ Archiepiscopus, Apostolicæ sedis Legat⁹, cū deuota & debita reuerentia pedum osculis beatorum. Ad hoc Deus collatis clauibus regni cælestis ligandi atque soluendi vobis generale pontificium tradidit ac Apostolicæ dignitatis principatum contulit, cum plenitudine potestatis, vt cæteri pastores, Ecclesiæ in partem sollicitudinis vocati, pro se omnibusque sibi commissis in singulis suis necessitatibus, cum fiducia thronum gratiæ vestræ adeant, apud sanctam sedem vestram misericordiam, & maternæ consolationis quærant vbera, à quâ sicut à sole radios, ab arbore ramos, & à fonte riuulos, statum suum deriuari cognoscunt, & ex cuius exundantis copia largitatis fluentia frequenter emanant gratiarum. Sane non sine grandi cordis amaritudine Sancti. V^{re}. facio manifestum, quod in Prouincia mea nonnulla beneficia Ecclesiastica, videlicet dignitates, personatus & parochiales Ecclesiæ, præter quas in eadem prouincia pauca sunt beneficia vacant de iure, ex eo quod eorum, qui illa de facto tenent, aliqui eo tempore, quo ea adepti sunt, fuerunt inhabiles ex defectibus, ordinis & ætatis, aliqui post adepta huiusmodi beneficia, non fuerunt statutis à iure temporibus, promoti ad ordines, quos cura requirebat, illorum aliqui alia receperunt beneficia, quæ simul cum primis de iure non poterant obtineri, & veniendo contra nouam vestram constitutionem, quæ incipit *Execrabilis*, facti sunt inhabiles tam ad habita quam ad habenda, præfata quoque beneficia tanto vacauerint tempore, quod eorum prouisio est ad sedem Apostolicam devoluta. Licet autem, tam ego, quam suffraganei mei vrgente nos morfu conscientiæ salutis animarum providere, & corruptionem huiusmodi, quæ non nostro, sed prædecessorum nostrorum tempore subiteruenit, euellere, summo affecte mus studio, in hoc tamen nobis vehementer obstitit instantis malitia temporis quo illicitos beneficiorum dictorum detentores coercere, & ab eis amouere nequimus, tam propter propriam illorum, & amicorum suorum potentiam, tum etiã propter discordiam principum contententium de imperij dignitate, quæ quidē discordia pacem de nostris terminis exulare cogit, sociam pacis iustitiam suffocat, prælia nutrit, seditiones excitat, & plerosque homines fecit insolentes adeo, & effrenes, quod ex seueritate correctionis Ecclesiasticæ non reuocantur à malo, sed quo magis percelluntur, amplius indurantur. Propter quod ad succurrendum huiusmodi beneficiis & personis, videtur vtilius vt mansuetudine quam rigore, & morbi huiusmodi vulnera non ferro sectionis, sed potius fomentorum lenitate curare, eo quod siue plectendo, siue ignoscendo, id solū bene agitur, vt vita hominum corrigatur. Suadet etiã multitudo languentium.

Illo morbo, cum detrahendum sit seueritati, vbi de multorum strage & periculo timor subest. Suadet quoque personarum qualitas, quæ pro maiori posse ex claro genere & nobili profapia progenita splendidis pollent natalibus, quibus post assumptam militiam clericalem, receptos sacros ordines, secundum consuetudinem patere ad dimissa patrimonia non debet redeundi facultas: & nisi de beneficiis Ecclesiasticis vitam agant, coguntur in confusionem sui generis, & vituperium clericalis ordinis infeliciter mendicare. Suadet hoc etiam beneficiorum ipsorum quantitas, quorum ferè per totam prouinciam memoratam redditus & prouentus adeo sunt tenues & exiles, quod de vnico beneficio persona litterata vel nobilis se non valeat secundum status sui decentiam exhibere. Literati quoque & nobiles, qui iura Ecclesiastica possunt defendere & tueri, nisi aliqua prerogatiua iuuentur, de cætero clericatum fugerent, in quo detraheretur non modicum cleri & Ecclesiarum commodo & honori. Suadet denique hoc dura Laicorum resistentia, qui hoc præsertim tempore, vt præmissum est, grauius insolescunt, & cum ius patronatus & aduocationis in multis beneficiis eis competat, facilius illa destruunt, & vel propriis applicatis visibus, quæ præsentatos à se consanguinitate fortè vel affinitate sibi coniunctos, patiuntur ab illis remoueri inuitos. Cum ergo oportunum huic morbo remedium adhibere sola possit vestra clementia, quæ ad instar eius cuius vices geritis in terris, non vult mortem peccatorum sed vt magis conuertantur & viuant, de voluntate, consilio & consensu suffraganeorum prædictorum, & capitulorum suorum, tam pro me quam pro illis Sancti. V. cum omni deuotione & reuerentia supplico per viscera misericordiae Iesu Christi, quatenus de gratia speciali, tam mihi quam illis singulis in suis Ciuitatibus & Diocesis, prouidendi de dignitatibus, personatibus, parochialibus Ecclesiis, seu aliis beneficiis Ecclesiasticis curatis, & non curatis quæ per nouam vestram constitutionem priuatam, seu alio quocumque modo de iure vacant, & tanto vacauerunt tempore, quod eorum prouisio est ad sedem Apostolicam deuoluta, eisdem qui illa nunc tenent de facto, vel aliis personis idoneis, prout S. V. visum fuerit, faciendi, dispensandi quoque super pluralitate beneficiorum cum his qui plura de facto iam tenent beneficia, iuxta modum quem secundum conscientiam nostram consideratis personarum, & beneficiorum circumstantiis arbitramur, nec non super irregularitate & inhabilitate ex detentione beneficiorum huiusmodi concitata, remittendi quoque fructus, redditus & prouentus ex his perceptos cum non obstantibus, & clausulis opportunis hac vice dumtaxat concedere dignemini facultatem, vt per hoc statum reformetur cleri: salus crescat populi, & vestrorum apud Dominum augeatur cumulus meritorum. Datum *Saltzburg* X. Kal. Nouembris anno Domini MCCC. vigesimo.

Canonici ad sanctum, *Ioannem* tenentur perpetuis temporibus cantare Officium, & Vesperas in Basilica Sancti *Ioannis* super altare quod ibi situatum est, in die sancti *Sixti* patroni ipsius, & in die sancti *Venceslai* de dedicatione, & in die Sancti *Mauricij* legere Missam, pro quo labore ex dotatione Altaris quilibet Episcopus pro tempore existens tenetur eis soluere in Festo Sancti *Michaelis* sex solidos denarios monetæ vsualis, iuxta litteras hinc inde traditas per Episcopum *Sixtum* & Capitulum prædictum, & soluuntur de Officina ferraria, videlicet *von dem Hammer vnnnd Schleiffmühl*, ante portam *Monacen*. situatas, quæ Officina subsidio mei *Sixti* Episcopi & huius rei fundatoris est excitata. Actum XII. mens. Feb. anno MCDXX.

I S M.

Vid Tom.
1. sub Epi.

IOSEPHVS Ep̄s Frisingen, ope Vtilonis Ducis, Collegiū mystarum instituit, cui flumen